Universitätsbibliothek Paderborn

Corpvs Doctrinæ Christianæ

Melanchthon, Philipp

Lipsiæ, 1572

VD16 M 2890

Vnde Est Confessio, Qvae Est enumeratio apud administrantes Sacramenta?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Visual Library

quod præcipit confeſsionem, id eſt, enumerationem delictorum etiam arcanorum, faciendam adminiſtrantibus Sacramenta. De hac enumeratione quæritur, qua occaſione recepta ſit, & paulatim cumulata, & an ſit neceſſaria.

VNDE EST CONFESSIO, QVAE EST enumeratio apud adminiſtrantes Sacramenta?

RESPONDEO. Hic ritus ortus eſt à ſpectaculis publicæ pœnitentiæ, quam ſic nominarunt. Nam polluti ſceleribus, quæ paſsim nota erant, cum redituri ad Eccleſiam petebant ſe recipi, commemorabant ſua delicta, ut ſicut tunc conſuetudo erat, per aliquot dies ſtarent in templo, cum ſignis reatus, & deinde publice reciperentur.

HOC ſpectaculum nominabatur publica pœnitentia, & pertinebat tantum ad pollutos ſceleribus, quæ paſsim nota erant, & nequaquã merebatur remiſsionem peccatorũ, neque culpę neq; pœnę, ſed commonefactio erat apud alios homines, ut eſſent diligentiores in cauendis lapſibus, & cogitarent de magnitudine peccatorum, &c. Itẽ, exploratio erat, quæ oſtendebat, iſtos ſerio petere remiſsionem.

EST NE ENVMERATIO OMNIVM aut aliquorum delictorum neceſſaria?

RESPONDEO. Nulla enumeratio delictorum neceſſaria eſt, quia manifeſtum eſt, nuſquam extare præceptum diuinum de enumeratione ſingulorum. Et enumeratio omnium eſt impoſsibilis, ſicut ſcriptum eſt: Delicta quis intelligit? Sed petitio abſolutionis priuatæ retinenda eſt propter multas grauiſsimas cauſſas. Nam uox Euangelij & multis & ſingulis, qui ad Deum conuertuntur, & conſolationem petunt, remiſsionem peccatorum annuntiat, iuxta dictum: Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis. Et nihil dubium eſt, Sacramenta uere eſſe applicationem generalis promiſsionis ad ſingulos, ſicut Paulus inquit, Circumciſionem fuiſſe ſigillum iuſtitiæ, id eſt, commonefactionem de promiſsione, & teſtimonium applicationis. PRAETEREA retento ritu priuatæ abſolutionis, magis in Eccleſia conſpicitur diſcrimen legis & Euangelij, & oſtenditur teſtimonium ipſis exemplis, quod in Euangelio mandatum traditum ſit de remiſsione peccatorum, ſicut Petrus Alexandrinus ritum publicum citauit contra Nouatianos.

CONTRA.

Iudex non poteſt abſoluere, niſi cauſſa cognita,
Paſtor eſt iudex,
Ergo neceſſe eſt fieri cognitionem, ad quam neceſſaria eſt enumeratio.

RESPONDEO. Nego minorem. Paſtor enim eſt miniſter Euangelij,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN